

1439 darentur, quæ ad rem transigendam essent necessaria: persuasus Senatus, id illi negotium demandavit, quo alacri animo suscepso, continuo se ad opus accinxit. Data ei omnia, quæ ad rem tantam opportuna videbantur. Trætæ itaque naves adverso Athesis fluvio Veronam usque, inde aliquanto laboriosius binis quaternisve jugatis bobus ad Mauri pagum eas Sorbolus attraxit. Hic subjectis triremi lapsibus, quam unam Pafius fuisse scribit, ingenti hominum bovumque conatu in divi Andreae lacum sex passuum millia per plana ferme loca moles illa traducta est: reliqua minora navigia curribus invecta. Blundus duas majores triremes fuisse tradit, & tres aliquanto minores, ac cum his scaphas quinque & viginti. Ex quibusdam aliis, qui rebus interfuere, didici, triremes, ut ille ait, grandiores duas fuisse, sed earum alteram, soluta adhuc materia, ad locum deportatam. Imminebat lacui huic, in quem primum naves delatae sunt, rupes in muri speciem suspenfa. Ad eam rectitudinem castigandam ingens agrestium manus est exhibita, qui, proximi tumuli parte in lacum dejecta, usque adeo asperitatem illam mitigavere, ut subiectæ ex aquis naves cum tota mole in adversum jugum sensim agi coeperint. Est nanque mons arduus inter utrumque lacum; scindebatque montis declivia; quibus primo naves agendæ erant, rivulus per abrupta faxa & rupem hinc inde fastigiatam decurrens: hac utrinque decussa, cautibusque & arborum truncis virgultisque in rivum devolutis, tellure superinjecta, ita exæquarunt, ut subjectis lapsibus, non multo majore labore, quam in ipsa planicie naves in summum montis dorsum sint actæ. Spectavi ea loca non sine stupore olim: nec quisquam mihi persuadere potuisset, tantam molem per eam montium asperitatem ingenio aut vi ulla actam, nisi vestigia adhuc quædam, & quasi vetus orbita, per ipsam jugi costam appareret, quæ rem omnibus faculis memorabilem ita factam manifeste argueret. Ferunt, non minus postea in descensu, quam prius laboratum. Timere omnes vehementer, ne ipsa moles per abrupta montium præceps acta, subjectis

cau-

*Triremes  
per altissi-  
mos montes  
in ipsum la-  
cum acta.*